



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Modvs Observandvs In Pvblca Sessione Conciliorvm Generalivm,  
Practicatus & obseruatus in Concilio generali Constantiensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

MODVS OBSERVANDVS  
IN PVBLICA SESSIONE  
CONCILIORVM GENERALIVM,ANNO  
CHRISTI  
1418.*Praedicatus & obseruatus in Concilio generali Constantiensi.*

**P**RIMO in loco vbi tenetur sessio , celebrabitur Missa solennis de Spiritu sancto quocumque tempore per cardinales , vel alium prælatum ad hoc deputatum. Quia Missa durante , omnes prælati suis habitibus consuetis sunt induiti , & sedent in loco dictæ sessionis secundum suas dignitates & prærogatiwas. Prædicta autem Missa finita , omnes prælati in eadem sessione existentes induunt se pluuialibus , & habent mitras albas , solo præsidente vel celebrante in Concilio excepto , qui habet mitram auriphrygiatam & gemmatam ac notabiliter ornatā. Qui quidem præsidens vel celebrans , associatis diacono & subdiacono , ac aliis multis in habitibus ecclesiasticis , sedet in cathedra in medio chori , habens dorsum ad altare , & vultum ad alias prælatos. Prælatis igitur sic indutis & ornatis , cantores cantant antiphonam: Exaudi nos Domine , quoniam benigna est misericordia tua , secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos Domine. Versus: Saluum me fac Domine , quoniam intrauerunt aquæ usque ad animam meam. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto. Quia antiphona cantata , diaconus clamat alta voce: Orate. Quo dicto , omnes prælati flectunt genua , & per aliquod interuallum orant sub silentio secundum deuotiones suas. Et postquam in illa oratione per aliquod competens interuallum steterunt , idem diaconus iterum clamat alta voce: Erigite vos. Et tunc omnibus prælatis surgentibus & stantibus , ipse præsidens vel celebrans etiam erectus , hanc dicit orationem alta voce.

Oremus. ORATIO.

Adsumus , Domine sancte Spiritus , adsumus , peccati quidem \* immanitate detenti , sed in nomine tuo specialiter aggregati. Veni ad nos , adesto nobiscum , dignare illa-

\* immen-  
sitate

ANNO CHRISTI 1418. bi cordibus nostris : doce nos quid agamus, quo gradia-  
\* solus mur : ostende quid efficere debeamus, vt te auxiliante, ti-  
bi in omnibus complacere valeamus. Esto \* salus, sugge-  
stor & effector iudiciorum nostrorum, qui solus cum Deo  
Patre & eius Filio nomen possides gloriosum. Non nos pa-  
tiaris perturbatores esse iustitiae, qui summe diligis aequi-  
tatem : vt sinistrum nos non ignorantiae trahat, non fauor  
inflectat, non acceptio muneris vel personae corrumpat :  
sed iunge nos tibi efficaciter solius tuae gratiae dono, vt si-  
mus in te vnum, & in nullo deuiemus a vero : quatenus in  
nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moder-  
amine pietatis iustitiam, vt hic a te in nullo dissentiat senten-  
tia nostra, & in futuro pro bene gestis consequamur pra-  
mia sempiterna. Amen.

Prædicta vero oratione finita, cantores Concilii inci-  
piunt antiphonam, Exaudi nos Domine, quoniam beni-  
gna est misericordia tua, secundum multitudinem misera-  
tionum tuarum, &c. vt supra. Qua antiphona cantata, om-  
nes (vt præmissum est) flexis genibus orant. Et facto par-  
uo interuallo, diaconus iterum dicit alta voce : Erigite  
vos. Tunc omnibus erectis, præsidens vel celebrans dicit  
iterum hanc orationem.

Oremus. ORATIO.

Mentibus nostris, quæsumus Domine, Spiritum san-  
ctum benignus infunde, quatenus in nomine tuo collecti,  
sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iusti-  
tiam, vt hic a te in nullo dissentiat voluntas nostra, sed  
semper rationabilia meditantes, quæ tibi sunt placita exe-  
quamur in factis. Per Dominum, &c.

Quibus sic peractis, omnes flectant genua, & diaconus  
& subdiaconus, vel alii duo ad hoc deputati, ante altare  
stantes, incipiunt litaniam, cantoribus & aliis responden-  
tibus. Et quando venitur ad illum locum, Ut dominum a-  
postolicum; præsidens vel celebrans, qui cum aliis stabat  
flexis genibus, surgit : & vertens se ad congregationem, &  
dando benedictionem, cantando ter dicit : Ut hanc san-  
ctam Synodum & omnes gradus ecclesiasticos benedice-  
re, regere & conservare digneris : cantoribus responden-  
tibus qualibet vice prædicta, Te rogamus, audi nos. Com-  
pleta vero litania, præsidens vel celebrans dicit : Oremus.

Concil. Tom. 29.

Nnnn ij

Quo dicto, diaconus dicit: Flectamus genua. Et subdiaconus dicit: Leuate. Deinde celebrans dicit hanc orationem: Da, quæsumus, ecclesiæ tuæ misericors Deus, ut Spiritu sancto congregata, hostili nullatenus incurfione turbetur. Per Dominum, &c. His vero completis, diaconus habens librum supra pulpitum inter altare & celebrantem dispositum, accensis duobus cereis circa ipsum pulpitum, incipit euangelium: *Vos estis sal terræ*: vel quod ad legendum sibi est ordinatum. Quo euangelio perlecto, celebrans primo facit collationem, exhortando omnes & singulos ad sollicitam meditationem & curam Dei, & super omnibus causis, propter quas sacrosancta Synodus est congregata. Deinde flexis genibus, incipit alta voce hymnum: *Veni creator Spiritus*. quem hymnum cantant alternatim existentes in sessione cum cantoribus. Quo hymno solenniter & deuote decantato, duo clerici induiti superpelliciis & adstantes præsidenti, dicunt versiculum: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur*. Et cantores respondent: *Et renouabis faciem terræ*. Postea celebrans dicit hanc orationem.

Oremus.

Deus qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Postmodum duo prædicti clerci, vel diaconus, vel subdiaconus, dicunt: *Benedicamus Domino*. Et adstantes respondent: *Deo gratias*.

His autem omnibus completis, idem præsidens, vel celebrans, & omnes alii prælati sedent, & ponunt mitras in capitibus suis. Et tunc unus prælatorum ad hoc deputatus legit decreta in illa sessione expedienda. Et in eodem ambone cum dicto prælato legente ipsa decreta erant præsidentes nationum tempore Concilii Constantiensis, & respondebat quilibet præsidens, *Placet*, pro natione sua. Præsidens vero generalis in dicta sessione respondebat etiam, *Placet*, etiam pro sacro Concilio & collegio generali. Decretis vero perlectis, & responso, *Placet*, & dicto, *Te Deum laudamus*, cum oratione de Spiritu sancto,

ANNO CHRISTI 1418. omnes depositis pluuialibus & mitris, resumunt habitus suos confuetos, & recedunt.

Nos igitur praeinserta gesta ac decreta, ne cuiusvis impugnationis iaculis subiaceant tempore procedente, auctoritate vniuersalis ecclesiae volumus, statuimus ac decernimus & mandamus, quatenus praefatis decretis & gestis superius insertis, in iudiciis & extra vicinque producta exhibitaque fuerint, vel ostensa, in omnibus & per omnia stetur, ac fides plenaria adhibeatur, perinde ac si bulla eiusdem Constantiensis Synodi bullata forent; nec ad illorum probationem aliud adminiculum quomodolibet requiratur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae voluntatis, statuti, decreti & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumperit, indignationem omnipotentis Dei & vniuersalis ecclesiae se nouerit incursum. Datum Basilea pridie Nonas Februarii, anno a nativitate Domini

MCCCCXLII.

Subscripta gesta & decreta sacri Concilii Constantiensis, concordatis cum volumine & tenore sub bulla sacri Concilii Basileensis plumbea bullatis, & manibus propriis dictorum dominorum deputatorum subscriptis, facta collatione per me Michaelem Galteri notarium ipsius sacri Concilii Basileensis, redacta in nonaginta octo chartis seu foliis, praesenti in numero huiusmodi computato.

Ego Ioannes Huober ex Nederdorff, quam alias Vil-  
lam bassam vocant, \*Brixien. dicecesis, artium libera-  
lium magister, & sacrae theologiae baccalaureus, sessio-  
nes & decreta sacrosancti magni & generalis Concilii Con-  
stantiensis praescripta, ab exemplari authentico collatio-  
nato, & bulla plumbea pendente in chordula serici robo-  
rato, in uno missione Spiritus sancti in specie columba,  
in altero vero lateribus horum verborum, Sacrosancta  
generalis Synodus Basileensis, sculpturas supra in prin-  
cipio depictas continent, & praefata chordula sericea per  
omnes chartas inferioris marginis transeunte, manu pro-  
pria descripsi atque consummaui, decimo Kalendas Iulii,  
anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo  
nonagesimo.

Nnnn iij